

solutum reputetur; Pignat. t. ix. Cons. 166. n. 10.

At contra excipiebatur, hæc jure locum habere, cum quis ad dotem præstandam obligatur, utpote pater alique; Amost. de Caus. piis L. 4. C. 4, non autem cum agitur de extraneis, multoque minus si puellæ vocatæ sint incertæ.

Ad secundum quod attinet, petitioni puellarum proderat, quod in jure earum conditio tam favorabilis est, ut licet testator quotam dotalem præfixerit, attamen ea soleat augeri etiam per plurium annorum cumulum. S. C. Conc. in Veliter. 9 Sept. 1813, quin censetur injuriam inferri puellis vocatis, quæ cum incertæ sint, jus quæsitum non habent. Rota cor. S. M. Clem. VIII. Dec. 227.

Perperam vero objiceretur, quod pauperum ratio ex testatoris voluntate sit habenda, nam puellarum dotatio non solum ad eorum spirituale ac temporale bonum conducit, sed etiam ad publicam utilitatem, cum ex iis Ecclesia filios, Civitas cives suscipiat. Deinde puellæ in pauperum numero post habendæ, ideo testatoris voluntas non infringitur si titulo paupertatis totus anni redditus eisdem attribuitur.

At vero contra puellarum petitioni refragabatur, quod favor eisdem habitus in earum dote augenda uti gratia sit æstimanda, minime vero uti dispositio stricte et universim observanda. Quod vero objicitur puellarum dotem pauperum largitionibus esse præferendam, locum habere posse, cum redditus utrisque non sufficiat, non autem cum ita pinguis sit, ut facile utrique satisfieri valeat. Deinde pauperes præteriri nequeunt sine aperta testamenti violatione, in quo legatum dotis a legato pauperum aperte distinguitur. Pauperes insuper certi dici possunt, quatenus sunt de illa civitate; Sanchez Dub. 6, n. 13. Idque magis valet favore masculorum qui ad familias vocatas pertineant; Pascucci ad Pign. t. iv. Cons. 82. de Leg. piis. Quinimo generalibus juris principiis inhærendo, fructus æquis partibus dividi deberent, nisi quod in themate testator prudenti Episcopi et Administratorum arbitrio commiserit, ut in hac divisione majoris egestatis atque opportunitatis ratio duceretur.

Re itaque in plenario auditorio S. C. Ep. et Reg. cum titulo *Casenaten. distribut. dot.* die 21 Apr. 1841, per sequentes dubiorum formulas.

1. « Se e come le giovani predilette abbiano dritto alla dote, non ostante che rimangano nubili nel caso? »

2. « Se e come si sostenga l'annuo assegno di sc. 72. fatto alle giovani Bufalini, Agostini, ed Evangelisti? »

3. « Se e quale sussidio dotale competa alle zitelle predilette da maritarsi nel caso? »

Emi PP. rescripserunt:

Ad 1. *negative.*

Ad 2. *Affirmative, donec maneant innuptæ.*

Ad 3. *Affirmative, arbitrio Administratorum cum Episcopo juxta dispositionem testatoris.*

(2. Subsidia dotalia puellis vocatis, aut sorte electis sunt tribuenda, sive nupserint in sæculo sive nupserint in Domino, eodem modo testator contrarium non præceperit.

Item, si testator tempus non determinaverit, quo puellæ sorte electæ matrimonii conditionem adimplere debeant, S. C. Episcoporum et Regularium rescripsit elapso quinquennio, vel ob mortem, si matrimonium sive temporale sive spirituale locum non habuerit, dotes conseri vacantes, et aliis puellis juxta dispositionem pii fundatoris esse distribuendas.

Joannis Surchi Ferrariensis anno 1664, suam ultimam voluntatem declarans legem dixit « che de'frutti della sua eredità ogni anno si maritassero dodici donzelle povere e native Ferraresi, dando a ciascuna di loro lire 130, due delle quali dovranno essere della villa di Gradizza, e le altre dieci native Ferraresi povere ed onorate di buona vita e fama, la nominazione delle quali starà in petto alli Signori Governatore ed altri Officiali della Congregazione delle Stimate che pro tempore saranno della Ven. Confraternita. »

Piæ dispositioni non defuit effectus, et cœtus Sodalium delle Stimate hæreditatis administrationem suscepit, et puellas duodecim quotannis ad subsidia dotalia rite nominavit.

Anno 1821, cum a pluribus annis puellæ pleræque sortitione extractæ nuptiarum conditionem non implevissent, magnus superfluit dotium non auditarum numerus, adeoque magna pecuniæ vis, ex qua nullus fructus proveniebat.

Ut autem huic incommodo aliqua ratione consultum foret, cœtus Sodalium deliberavit « che le Doti delle innutte entro l'anno si dispensassero a quelle che erano state proposte, ma non favorite dalla sorte colla prerogativa dell' anteriorità a seconda del tempo del loro matrimonio seguito entro l'anno. »

Hujusmodi ratio viguit ad annum 1840, quo Præfectus Sodalitio, in dubitationem devenit, num eadem ratio Testatoris voluntati consentanea foret. Itaque Sacra Congr. Ep. et Reg. rem deduxit, exposuitque hoc modo numerum a testatore præscriptum excedi, et obligationi intra annum nubendi ab eodem impositæ nullatenus satisfieri. Adidit autem dotes hac ratione caducas effectas, in utilitatem sodalitii saltem ex æquitate juxta præsumptam testatoris voluntatem vertendas esse.

Controversia igitur ad S. C. delata, et juxta consueta ejusdem regulas proposita, duo questionis capita emergebant; primum circa obligationem matrimonii; secundum circa tempus, quo item esset perficiendum.

De primo referebantur variæ DD. sententiæ, quorum aliqui docent legatum dotis esse purum, ideoque matrimonii obligationem non importare; alii vero contendunt esse legatum conditionale, et ideo necessario adimplendum. At in eorum dissensione con-

cludebatur in hujusmodi controversiis præsumptæ testatorum voluntati standum esse; Amostas. de Caus. piis L. 4. C. 6, num. 16. Jamvero in facto subsumebatur nuptiarum conditionem necessario implendam videri ex eo, quod testator nuptiarum conditionem primo loco posuerat, inquit « si maritassero dodici donzelle, » etc. Hoc enim forte ostendere volebat sese matrimonii favorem, quam personarum potius inspexisse, eoque magis quin puellæ honoratæ veluti incertæ reputari poterant. Addebatur autem in casu sufficere nedum matrimonium carnale sed et spirituale, quandoquidem contrarium a testatore statutum non fuerat. S. C. Ep. et Reg. in Pisaren. 26 Aug. 1616.

Secundum vero questionis caput majorem difficultatem implicabat: neque enim testator indicaverat, quo temporis spatio puellæ sortitione vocatæ nuptias perficere deberent. Recurrendum igitur erat ad legum dispositiones, ex quibus deducebatur in genere conditiones potestativas quamprimum implendas esse *L. hæc Cond. ff. de Cond. et Dem.* De conditione vero in specie si nupserit ex aliquibus Doctoribus cum Bartolo ad memoratam legem requiri colligebatur, ut intra triennium adimpleatur; ex Montica vero de Conj. Ult. Vol. L. 11, t. 18, n. 25, eandem conditionem quandocumque et etiam post triennium posse executioni mandari.

Itaque sequentes dubiorum formulæ, quæ allatas quæstiones complectuntur, Eminentiſsimorum Patronorum judicio dirimendæ propositæ sunt.

1. « Se e quando le giovani sortite al bussolo per conseguire le doti del legato pio Surchi debbano contrarre matrimonio? »

Et quatenus affirmative infra annum.

2. « Se si abbia ad osservare il metodo adattato nel 1824, di conferire ledoti vacanti ad altre giovani proposte, e non sortite dal bussolo, che si maritano nell'anno; o piuttosto concederle almeno per grazia in beneficio della Confraternita ed in quel modo? »

3. « E quante volte l'accennata condizione non si debba adempire dentro l'anno; qual metodo convenga adattare per impedire il cumulo delle doti nel caso? »

Quibus Emi PP. in generali auditorio diei 25 Febr. 1842, rescripserunt.

Ad 1. *Affirmative ad primam partem, ad secundam infra quinquennium et ad mentem: mens est, ut puellis quæ ad dotem sortiuntur, detur schedula, quam ipsæ exhibere possint sive nupserint in Domino, sive in sæculo.*

Ad 2. *provisum in primo.*

Ad 3. *Elapso quinquennio, vel ob mortem, si matrimonium sive spirituale sive temporale non fuerit secutum, dotes vacantes conferantur aliis puellis, quæ sortitæ sunt in additionem duodecim annuatim conferendarum.*

REV. FABRICÆ S. PETRI.

In distributione subsidiorum dotalium erogandos esse fructus sortis superlucratæ a Sodalibus S. Apolloniæ Urbis ex investimento promissarum dotium decernitur: redintegrando prius ex eadem sorte fundo Legati Egidi in duobus locis montium, et deductis ex ejus fructibus expensis Sodalitii pro administratione honorum, necnon celebrato quotannis anniversario pro fundatoribus et benefactoribus: Romana Subs. Dot. 31 Maii 1794, dub. 1.

## E

### ECCLESIA.

#### S. CONGREGATIONIS RITUUM DECRETA.

(1. Cum ex parte Decani, et Capituli Ecclesiæ Cathedralis Salmaticen. SSmo Domino nostro Clementi PP. XIII humillimæ expositum fuerit, non raro eventire posse, ut eadem Ecclesia Cathedralis, aut alia ipsi unita, quæ Universitati adhærent, ob frequentes scholarum ejusdem Universitatis rixas, polluantur; et Episcopatu vacante, vel Episcopo absente, aut impedito, nulloque Episcopo Salmaticæ commorante, neque ob Diocesium distantiam aliquo vicinior, nisi post longum temporis intervallum accedente, nonnunquam Sacrificia, et Ecclesiastica munia in iisdem Ecclesiis diu interrupta remaneant magno Scholariorum detrimento; quapropter SSmo Domino Nostro enixe supplicarunt, quatenus elargiri dignaretur facultatem, ut, tali casu occurrente, una ex Dignitatibus ejusdem Cathedralis

cum aqua a proprio, vel viciniori Episcopo benedicta possit illas reconciliare.

Hinc Sanctitas Sua benigne concessit: « Ut, vacante Sede Episcopali, si nullus Episcopus Salmaticæ, vel in vicinis commoretur, Vicarius Capitularis ad benedictionem Ecclesiæ pollutæ, dummodo utatur aqua a vicinior Episcopo benedicta, possit procedere: Episcopo vero causa ægritudinis, vel absentia a sua Diocesi impedito, nulloque alio Episcopo occurrente, vel accedente, Vicarius generalis, et quatenus ipse Sacerdotali characterem non sit insignitus, prima Dignitas ejusdem Capituli, habita prius ab Episcopo licentia in scriptis, et cum aqua pariter ab eodem Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, eandem benedictionem possit peragere. » Quæ omnia eadem Sanctitas Sua pro casu, de quo agitur tantum valitura, atque in exemplum non adductura, indulſit, quibuscumque in contrarium non



obstantibus; Salmanticens. Die 12 Decembris 1761.

S. CONGREGATIONIS CONCILII DECRETA.

(1. Ob nonnullas controversias factas inter novos Deputatos Brephotrophii, et Sodalès SSmi Corporis Christi Aesculi causa Pontificii Rescripti diei 5 Aug. 1795, quod novos Deputatos Ministro amoto constituere præcipiebat; dubia nonnulla fuerunt in S. C. proposita, sed haud fuerunt resoluta, et mandatum proponi dubium — an constet de obreptione et subreptione rescripti SSmi? Aesculana Brephotrophii 9 Julii 1796, dubium 4 ad 11.

(2. Ecclesia Parochialis Villæ Rezodii sub se continet alias quindecim villas seu Pagos, quos inter recensentur finitimi Pagi Brignola, et Pianum animabus circiter tercentum compositi, et ab Ecclesia Parochiali duobus fere milliariis dissiti. Quum in duobus his Pagis nulla Ecclesia, nullumque adesset publicum Oratorium, in quo vel Sacrum celebrare, vel Deo preces effundere valerent, hinc deliberarunt de Ecclesia in dicto Pago Brignolæ construenda. Contradictorem experti sunt Parochum; sed obtento a Domino Pagorum assensu, stipulatoque de ea construenda instrumento, manutenendaque, institerunt pro facultate præfatam Ecclesiam ædificandi, et impetrarunt, salvis juribus Parochialibus, et ad mentem; Derthonen. Erect. Ecclesiæ 30 Maii 1778.

(3. In dubium venit utrum liceret vendere situm Antiquæ Ecclesiæ, ad hoc ut pretium in constructionem novæ Parochialis Ecclesiæ prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ ædificandæ, et ampliandæ erogaretur. Suspensa primum fuit causæ resolutio, et demandatum Episcopo scribi juxta instructionem. Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Paroch. 13 Sept. 1777, dub. 3. At ad novam inde trutinam ducta causa, affirmativum prodiit responsum cum solitis tamen clausulis; 6 Martii 1779.

(4. Dubitationi obnoxium fuit, an esset locus novæ ædificationi et ampliacioni Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli, seu potius illius instauracioni? responsum extitit dilata, et scribatur Episcopo juxta instructionem: Pontis Curvi Reædificat. et Translat. Ecclesiæ Parochialis 13 Sept. 1777, dub. 1. Iterum proposita causa, et novis illustrata juribus, et documentis, decretum est, prædictam non instaurandam, sed denuo Ecclesiam ædificandam et ampliandam esse: 6 Martii 1779.

(5. Nec in eodem ædificandam esse situm, sed ad alium situm prope Collegium Patrum Doctrinæ Christianæ transferendam cum muniis Parochialibus esse S. C. censuit, etsi Parochiæ incolæ causa loci contradixissent: *Ibid.* dub. 2.

(6. Postulatum item quum fuisset an et ejus expensis novæ prædictæ Ecclesiæ ædificatio, aut antiquæ instauratio faciendæ sit? affirmativum responsum exiit juxta Episcopi votum. *Ibidem* dub. 4.

(7. Oppidum Crevalorii collocatum in Territorio Abbatæ S. Silvestri Nonantulæ uni-

cam habet Parochialem Ecclesiam Divo Stephano dicatam. Hac jam fatiscente, auctoque oppidanorum numero, Præpositus Jacobus Graviolius preces exhibuit pro amplioris Ecclesiæ nova ædificatione, exponens simulque sciscitans quam ratione id perfici possit? novam ædificationem S. C. probavit; et quo vero ad modum dixit ad mentem a D. Secretario Card. Abbati communicandam: Nullius seu Nonantulana reædificationis Ecclesiæ Paroch. 16 Maii 1778. Menti satisfecit Abbas Architecticæ relationem porrexit; ideo petitur quomodonom ea sit reparanda? et rescriptum denique fuit, juxta votum Cardinalis Abbatis Commendatarii cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis: 6 Martii 1779.

(8. Nullas reparaciones faciendas esse in Ecclesia Parochiali S. Mauri oppidi Tumbæ sumptibus Parochi antecessoris statuit S. C. contra votum moderni Parochi, qui post lapsum undecim annorum a Parochia obtenta, et nonnisi post sui Antecessoris obitum, reparaciones tum in sacris suppellectilibus, tum in Ecclesia et in domibus ex necessario fieri oportere postulavit: Senogallien. 19 Septemb. 1778, dub. 1. confirmat. 15 Maii 1779.

(9. Abbatialis Ecclesia S. Mariæ de Platea ab immemorabili habita semper fuit pro principaliori ab ipsis S. Severi Prioribus. Inter hos autem Priores, et illius Abbates factis circa præminentias quæstionibus decisum fuit, Ecclesiam illam Abbatialem esse Matricem, majorem insuper, et digniorem esse altera Ecclesia Parochiali S. Severi, quoad actus tantum præeminentiales: Senogallien. Præminent. 30 Januar. 1779, dub. 1. confirmat. 5 Junii ejusdem anni.

(10. De necessariis reparacionibus in Ecclesia Cathedrali faciendis periti retulerant. Triplici hinc certamine dimicatum est, ut decerneretur ad quemnam illarum onus spectaret? Capitulum substinebat ad solum id spectare Episcopum, nisi peculiare adsit statutum, aut contraria consuetudo, vel nisi Ecclesia peculiare habeat pro fabrica redditus, quibus Cathedralis Balneoregii prorsus carebat, et imo probabat hoc onus Episcopis semper incubuisse. Hodiernus Episcopus in Antecessorem Antistitem Baldassinium onus refundebat, et hujus hæres in illum vicissim. S. autem C. respondit, instauraciones esse ad formam peritiæ necessarias, easque ad Episcopum Baldassinium attinere, dempto eo, quod exactum fuit ex gratia SSmi juxta liquidationem coram D. Secretario faciendam. Balneoregion. Ecclesiæ Cathedralis 17 Aug. 1776, dub. 1 et 2. confirmat. 28 Aug. 1779.

(11. Intra fines Spoletanæ Dioceseos adest locus, qui vocatur Podium Primi Casus, ubi una tantum adest Prioralis Ecclesia cum cura Animarum, quam obtinuit Vincentius Bernabo Fulginas Canonicus Basilicæ S. Laurentii in Damaso Urbis. Quum esset hæc Ecclesia fatiscens, minareturque undequaque ruinam, sacrisque omnibus paramentis et utensilibus careret, paupere populo, et paupere Ecclesia, Vincentium Priorem ad instaurandam et renovandam suam Prioralem Ec-

clesiam; necnon et ad sartam teclamque servandam in necessariis parandis suppellectilibus, adigendum esse, populus oravit; sed S. C. causam distulit, et Episcopo scribi jussit ad mentem; Spoletana Restaurat. Ecclesiæ Paroch. et Sacr. Suppellect. 18 Martii 1780.

(12. Quum Ecclesia S. Mammantis ruinam minitans solo æquata fuisset, et ex cæmentis ad eam reparandam paratis nova Ecclesia S. Mariæ de Platea, quo Simulacrum S. Mammantis translatum fuit, fuisset constructa; postulabatur, an et ejus sumptibus præfata S. Mammantis Ecclesia sit in pristinum reducenda? Sed absolutum S. Congr. rediit responsum negativum: Bricinorien. Translat. Ecclesiæ Parochialis 14 Decem. 1782, dub. 2.

(13. Petita Archipresbyteratus, et Canonici provisione, cujus collatio pro reparanda Parochiali Ecclesia Collegiata S. Mariæ terræ Bledæ suspensa erat, S. C. placuit injungere Vicario Capitalari, ut statim procederet ad indictionem concursus pro electione Archipresbyteri cum assumptione coadjutoris, assignata eidem provisione usque ad electionem Canonici curati, et in reliquis ad mentem. Modo Cardinalis de Comitibus Viterbium se contulit, omniaque perfecit; ob id S. C. decrevit, esse providendum ad fabricam illius Ecclesiæ in omnibus juxta votum Card. Relatoris, et ad D. Secretarium cum SSmo juxta mentem: Viterbien. 7 Febr. 1784.

(14. De Parochialis et Abbatialis Ecclesiæ S. Mariæ de Platea terræ Montis-novi matricitate constat quoad actus tantum præeminentiales. Quoniam in solemnioribus anni festivitibus sacras functiones tamquam matrix peragere consuevit, quemadmodum ex nonnullis etiam conjecturis id evinci poterat; et ipse autem Abbas de rigoro matricitate ad effectum percipiendi decimas quæstionem instituere non intendit: Senogallien. Præminent. 27 Martii 1784, dub. 1. Idemque fuit eadem die in altera causa resolutum. *Ibid.*

Qua de causa Cruci prædictæ Abbatialis Ecclesiæ dignior debetur locus, seu præcedentia, et præminentia: *Ibid.* dub. 3.

(15. Populus Borgii unam habens Ecclesiam, eamque etiam magna scutorum quinque millia reparacione indigentem supplicavit pro novæ potius Ecclesiæ in commodiori loco faciendæ constructione, quæ ad scuta quatuor millia vix adscendit; et deprecatus est etiam, ut sibi uti liceret in partem sumptuum hæreditate Mariæ Finocchæ in pios usus relicta. Siquidem hæc pia mulier bis mille libris Januensis egenis pagi ægrotantibus occurri jussit; et his deficientibus, mandavit in annos singulos Kalendis Maii panes pauperibus distribui; ratam aliarum librarum 1600 voluit implicari in construenda Capella in illa fatiscente Ecclesia suo nomine et cognomine inscripto: de reliquis fructibus solidos triginta dari constituit singulis annis Parocho pro sacrificio in expiationem animæ suæ Kalendis Maii celebrando, et superextantes erogari in totidem Missis lectis cum eleemosyna solidorum quatuor-

decim. Idem populus distributioni fructuum bis mille librarum renunciavit, promisitque Capellam ad normam testatricis ædificare in nova Ecclesia, et implere aliquem numerum Missarum, quarum reductionem etiam efflagitat. His omnibus S. C. respondit *affirmative*, reservato onere anniversarii Kalendis Maii a Parocho explendi cum eleemosyna solidorum triginta, et celebratis quotannis nonnullis missis lectis arbitrio Episcopi, et cum eleemosyna ab Episcopo taxanda, et ut ipse incumberet ædificationi Ecclesiæ cum appositione lapidis, et administrationi hæreditatis: Albigenen. Ædificat. Eccl. Paroch. 3 Febr. 1787.

(16. Ob imminentem Parochialis Ecclesiæ S. Mariæ Cossineani ruinam, Præpositus et Curati contributiones Communitatis, Capellaniarum, Nosocomii, et Sodalitiorum proposuerunt confirmandas, ut nova fieret Ecclesiæ fatiscents constructio. At quum constructio plurimum expensæ requireret, excogitata fuit reparatio, quæ minores requirebat expensas. Fratres Santucci, qui ex conspectu Ecclesiæ domum habent, sese opposuerunt, dicentes, limitatum fuisse sodalium, et administratorum consensum ad novam Ecclesiæ constructionem, ideoque trahendam non esse ad instauracionem. Verum S. C. constare de legitimis consensibus pro expensis necessariæ reparacionis edixit: Ripana 16 Junii 1787, dub. 1.

(17. Quæsitum deinde fuit, cujusnam sumptibus sit ea Ecclesia instauranda? dictum est, provisum in primo, et scribatur Episcopo juxta mentem: *Ibid.* dub. 2.

(18. Parochia S. Donati jamdiu Episcopali Mensæ unita, et ad statum postea collativum nonnullis pro Parocho, et nonnullis pro Ecclesia bonis assignatis, cæteris autem bonis una cum decimis a Mensa ipsa retentis, reducta fuit. Hinc reparaciones in Ecclesia præfata faciendas pro tempore præterito ad Episcopum spectare, quo vero ad tempus futurum, ordinarias spectare ad Parochum, extraordinarias ad Antistitem pertinere, S. C. definivit: posteaquam 14 Dec. 1782 fuerit rescriptum dilata, et ad mentem: Bricinoren. Congruæ 10 Decem. 1785, dub. 3. confirmat. 15 Sept. 1787.

(19. Canonici et Archipresbyter Parochialis Ecclesiæ S. Petri Montis Martiani in Collegiatam erectæ S. C. oraculum percunctati sunt, num onus reparandi, ac manutenendi Fabricam, et tintinnabula Ecclesiæ spectet ad solum Archipresbyterum; seu potius repartendum sit inter eum et cæteros Capitulares? hæc definivit, spectare pro tertia parte ad Capitulum, pro reliquis duabus partibus ad Archipresbyterum; Senogallien. 13 Junii 1789, dub. 3.

(20. Cathedralis Ecclesia Arimini a motu terræ concussa, Canonici ad sibi habendam facultatem creandi censum scutorum 5270 supplicarunt, et applicationem reddituum Sodalitii Cruce signatorum, et Hospitalium S. Archangeli, et Montisfloris urbis postularunt. Pontifex immortalis memoriæ Pius Sextus censum nec approbavit, neque impro-



bavit; hujuscæ tamen applicationes denegavit. Hinc Canonici percunctari cœperunt S. C. oraculum super jure et obligatione reparationis Ecclesiæ, et super erogatione reddituum Mensæ Episcopalis, qui inter Canonicos ipsos dividi consueverant, quique a nonnullis Benefactoribus erant reparationis onere relicti. Et oraculum fuit, reparationem Ecclesiæ Cathedralis faciendam esse a Capitulo ex redditibus Mensæ Capitularis: Ariminen. Repar. Cathedral. 18 Sept. 1789. dub. 1.

(21. Quum Episcopus Sarsinatis in actu Visitationis totam parochialem Ecclesiam S. Mamantis de Falcino delabentem comperisset, decrevit, infra tempus proximi veris firmiter reficeretur, facta de necessariis expensis peritia, ad hoc ut eæ populo et possidentibus notificarentur, ut unusquisque pro rata sua parte concurreret; sin minus, juxta consuetudinem contra morosos executivum relaxaretur mandatum. Taxationem super æs et libram solvere renuit Laurentius Richius, exterus in Parochia possessor, et gravaminis querelam ad Sacram detulit Congregationem. At hæc sancivit præfatum Episcopi decretum esse exequendum: Sarsinaten. 31 Julii 1790.

(22. Adeo Parochialis Ecclesia SSmi Salvatoris Velitrarum fatiscit, ut alibi parochiales agantur functiones. Insignis peritorum judicio ad eam reparandam requiritur summa scutorum 2420; nec pares sunt illius redditus sumptui. Igitur S. C. supplicarunt ejus Officiales pro suspensione onerum, quæ Sacrarario, Archipresbytero, Beneficiatis, et Capellanis incumbunt; et responsum prolatum est, ut expectetur relatio Cardinalis Episcopi super petitione Collegii S. Bonaventuræ, quod insignem Capellaniam in ea Ecclesia possidet; hinc concordiam Collegium illud cum Deputatis Fabricæ super contributione inierat: Veliterna Suspens. Miss. 5 Junii 1790. Deinde annuit juxta votum Card. Episcopi: 18 Sept. ejusdem anni.

(23. Ac insuper reprohavit Concordiam prædictam confectam a Collegio S. Bonaventuræ pro Capellania scut. 800. *Ibid.* dub. 2.

(24. Ecclesiæ S. Laurentii fatiscens, et in incommodo positæ situ demolitio illius Beneficiato permittitur, extracto in proxima SS. Annuntiatæ Ecclesia altari in honorem ejusdem Beati; quum homines Villæ Casalinorum cæmenta Ecclesiæ diruendæ obferrent: Camerinen. Demolit. Ecclesiæ 18 Decem. 1790.

(25. Johannes Franciscus Jacobus duo prædia legavit Congregationi S. Mariæ Gaudii, et S. Apolloniæ Bononiæ civitatis. Horum reddituum medietas in Ecclesiæ ædificio, medietas in celebratione Missarum impendi debebat. Sodales pro Oratorii et S. Sodalitii reparatione explenda postularunt, ut summa 257 scutorum, quæ a morte testatoris supererat, eratque sub depositi lege, in reedificationem posset erogari. Sed medietatem tantummodo hujus depositæ summæ obtinuerunt. Bononien. 21 Junii 1783. Alteram inde postularunt depositi medietatem ad perfici-

endum ædificium, et rescriptum tulerunt, ut scriberetur Card. Episcopo juxta instructionem: 6 Maii 1786. Denique S. C. annuit juxta votum Archiepiscopi 28 Maii 1791.

(26. Facta contentio est, an et de quarum instaurationum, ac reparationum in Ecclesia Cathedrali, quæ confectæ, et quæ sunt faciendæ necessitate constet? resolutum est constare ad formam peritiæ mitioris Termini a Card. Visitatore deputati: Balneoregien. Ecclesiæ Cathedralis 18 Decem. 1790. dub. 1. confirmat. 28 Maii 1791.

(27. Et resolutum insuper est, reparationem hanc in decessorem Episcopum Alufium, sub cujus regimine fatisci cepit, refundi, secundum tamen peritiam de mandato prædicti Cardinalis Visitatoris confectam: *Ibid.* dub. 2. confirmat. *ibid.*

(28. Quum Ecclesia Parochialis S. Michaelis de Puteo Foro Cornelii Dioceseos instauratione indigeret, Sacerdos Franciscus Braga Parochus petiit definiri, cuinam onus incumberet instaurationis? restitit petitioni populus. At deteriori facta Ecclesia, per modum provisionis creatus fuit census scutorum centum et viginti super bonis Parochiæ, ut labenti turri sacras ferrent suppetias. In dies restauratione indigente magis Ecclesia definiri postulat, quis ad reparationem, et ad extinctionem census, ejusque fructuum solutionem sit adigendus? definitio fuit teneri populum, et possidentes in districtu Parochiæ per æs et libram. Nam impares erant redditus Parochi et Beneficiarium, et patroni deficiebant: Imolen. Restaurat. Ecclesiæ Paroch. 6 Sept. 1783. confirmat. 10 Jan. 1784. Deinde executio taxæ plene peragi nequivisset renuentibus exteris possidentibus; et re iterum in S. C. delata, S. C. imponendam esse collectam juxta votum Card. Episcopi statuit: 16 Maii 1795. dub. 1.

(29. Et locus est deputationi periti pro recognitione operis: *Ibid.* dub. 2.

(30. Inter plurima pia legata quæ reliquit Julius Antonius Silvagni, inter cætera novæ Ecclesiæ constructionem mandavit. Sed perfici hæc nequit ob defectum reddituum, qui impendi debent etiam in subsidiorum dotulium distributionem; hinc postulat an et quomodo sit consulendum sumptibus necessariis ad perficiendum Ecclesiæ ædificium? respondit S. C. affirmative ex redditibus superextantibus ab anno 1791 inclusive, et Episcopus curet omnino rectam administrationem, injuncta ad hunc effectum Administratori redditione rationis faciendæ quotannis eidem Episcopo: Ariminen. Subsid. Dotul. et Fabricæ Ecclesiæ 26 Septemb. 1795. dub. 2.

(31. Quum Canonici Ecclesiæ Collegiatæ oppidi Belviderii pro reparatione Ecclesiæ bis suspensionem, et ad vicennium postremo dubrum Canonicatum Ubertini et Mei; et facultatem creandi census scut. 1000 obtinissent; modo post ocularem inspectionem Visitatoris delegati summa prædicta non sufficere agnoverunt, hinc postulant tertii Canonicatus suspensionem nuper vacati, ut contrahere census possint in summa scutorum

2 500, quæ requiruntur ad Ecclesiæ Fabricam perficiendam; et S. C. concessit suspensionem juxta votum Card. Archipresbyteri Basilicæ Lateranensis: Senogallien. Fabricæ Ecclesiæ 20 Febr. 1796. dub. 1.

(32. Denegata pro reparatione ædium, et Ecclesiæ Parochialis S. Michaelis Archangeli oppidi Maceratæ Feltriæ applicatione hæreditatum Gratosi, et Angeli Remigii Galbini, supplicatum est an et quomodo sit providendum præsentii reparationi ædium et Ecclesiæ Parochialis? S. C. respondit affirmative ex pecunia cumulata, et quatenus opus aliis etiam remediis a Sacro Concilio Tridentino præscriptis: Feretrana Applicat. 27 Aug. 1796, dub. 2.

(33. Tres sunt in Oppido Supini Ecclesiæ Parochiales; una ex his Archipresbyteralis sub titulo S. Petri, quæ ab antiquissimo tempore tantum fontem baptismalem habet, cujus in benedictione conveniunt alii Parochi, qui etiam ab eadem Ecclesia oleum sanctum accipiunt. Non semel dicti Parochi præminentiam illius Ecclesiæ turbare conati sunt; modo etiam, spreto monitorio Æ. Fontem baptismalem de præcedentis Episcopi licentia in eorum Ecclesiis construxerunt. Sed litem exortam S. C. decidit constare de majoritate, non autem de matricitate Ecclesiæ S. Petri: Ferentina Matricit. et Fontis Baptis. 18 Martii 1797. dub. 1.

(34. Extra mœnia Rocchæ Contratæ sita est Ecclesia nuncupata *la Madonna del Renale* et in ea miraculis clara Beatæ Mariæ Imago. Ibi simplex beneficium erectum est; et quum hæc Ecclesia esset prope diruta; ad reparandam Marcus Antonius legavit scut. 50, quæ summa et beneficii redditus ad reficiendum impares sunt. Theodorus Carletti hoc onus se spondet implere, et Ecclesiam novam intra Oppidi mœnia ædificare, et manutenere, si ei reservetur jus patronatus, et subministratur dirutæ Ecclesiæ cæmenta, Imago, et scuta quinquaginta, et alia scut. quinquaginta a beneficiato subministranda, et ei vendatur prædium beneficii, solvendo fructus compensativos quinque pro centenario. Beneficiatus favet postulationi, et etiam S. C. quæ esse locum reedificationi Ecclesiæ juxta votum Episcopi statuit: Senogallien. Reedificat. Ecclesiæ 6 Maii 1797.

(35. Erecta præbenda Theologica in Ecclesia Cathedrali cum suppressione Conventus parvi PP. Eremitarum S. Augustini nuncupati *della Voltre* in territorio, et Parœcia Vallis Nucis siti, hodiernus Theologus exorat pro demolitione Ecclesiæ, ædium illius Conventus contractione, et missarum quinque translatione ad Cathedralem, quum hæc Ecclesia, et Conventus, in quo modo Coloni habitant, pessimo statu essent, mantentionis onus non leve, et Sacerdotes ad Sacrum peragendum, in illa Ecclesia difficillime accedant. Precibus S. C. annuit juxta votum Episcopi, apposito Icone divi Augustini in altari ab eodem Episcopo designando in Ecclesia Cathedrali. Bricinorien. 24 Novemb. 1792. dub. 1. confirmat 17 Junii 1797.

(36. Vigore piæ dispositionis Card. Petri

Pauli de Comitibus institutæ in favorem trium Ecclesiarum S. Mariæ de Trivio, S. Mauri, et S. Mariæ *del Rivo*, reparatæ et iterum ædificatæ dictæ Ecclesiæ fuerunt; sed Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* prope dirutæ, cujus expresse testator instaurationem non ordinaverat, Episcopo placuit opus suspendere. Putabat enim inutilem illam esse, et superfluum; quum esset in villicula S. Mauri, in qua exiguus est Populus. Re in S. C. delata, declaravit non esse locum illius Ecclesiæ reparationi: Camerinen. 18 Novemb. 1797. dub. 3.

(37. Ecclesiæ S. Mariæ *del Rivo* ad hæredes Petri Pauli Cardinalis de Comitibus spectantis demandatur demolitio ob pessimum ejus statum, et inutilitatem in villicula S. Mauri, in qua aliæ duæ sunt Ecclesiæ: Camerinen. die 18 Novemb. 1797. ad 3 Dub.

(38. Ecclesiam Parochialem S. Lucæ Viterbii reparandam esse decernitur ex fructibus beneficii in ea erecti, suspensa ad septennium executione nominationis Beneficii jam expletæ favore Clerici Caroli Bergassi: Viterbien. Beneficii die 18 Novemb. 1797.

(39. Ecclesiam S. Mariæ *del Renale*, positam extra mœnia Rocchæ Contratæ in loco aquoso et lubrico, reedificari permittitur intra oppidum Theodori Carletti, qui eam in proprio despondet solo nonnullis sub conditionibus, ac præsertim reservationis juris patronatus, et emptionis prædii spectantis ad beneficium in eadem Ecclesia erectum, solutis fructibus capitalis donec novum fiat investimentum: Senogallien. reedificationis Ecclesiæ die 6 Maii 1803.

(40. In Ecclesiæ Parochialis SS. Viti et Modesti Oppidi Montis Biotii restaurationem contribuere debere annua scuta bis centum quinquaginta Conventum S. Marci PP. Eremitarum Congregationis B. Petri a Pisis definitum fuit. In Pisaren. Reparationis Ecclesiæ super executione Decreti die 12 Februarii 1803.

(41. Demolitionem Ecclesiæ SS. Simeonis et Judæ, quam sordidam et fatiscentem reparare non poterant Rectores, permisit S. Congregatio cum solitis clausulis, et servata in profanatione censura Sacri Concilii Tridentini, et celebrato quotannis festo S. Titularis, atque commisit Episcopo ut incumberet investimento pretii cæmentorum, ut deinde provideri posset quoad ejus applicationem. In Fanen. Demolitionis Ecclesiæ 13 Septem. 1806.

(42. Ædificationi Ecclesiæ, et ædium Parochialium Villæ Frontilli providendum esse modis extraordinariis ab Archiepiscopo propositis definivit Sacra Congregatio, celebrata in menses singulos Missa pro legato Bartolini usque ad ejus redintegrationem. In Camerinen. Ædificationis Ecclesiæ die 27 Junii et 18 Julii, et 21 Novembr. et 19 Decem. 1807.

(43. Probavit S. Congregatio permutacionem fatiscens Ecclesiæ S. Blasii cum Ecclesiæ S. Annæ conciliatam inter familiam Mancina, et Parochum Majolati, ex qua illa huic cessit cæmenta demolendæ Ecclesiæ S. Blasii, et domunculam; ita tamen proba-